21338/C/1

E.IV

KLINKOSCH, Josephus Thaddaeus. **Programma quo anatomicam monstri** bicorporei monocephali descriptionem **proponit.** 31 pp. *With six large well engraved folding-plates (anatomical illustrations of a human double-bodied monster with one head).* Large 4to. Boards. Prague, 1767. Fr. 25. —

Klinkosch (died in 1778) was professor of anatomy at Prague.

31 pp
6 folding plates
F.D.

L'Art Ancien
Lugano
25 Sw. fr.
April

Syp 49. 7. 47

JOSEPHI THADDÆI KLINKOSCH,

PHIL. ET MED. DOCTORIS, IN ALMA CÆSAREA REGIAQUE UNIVERSITATE CAROLO-FERDINANDEA PRAGENSI ANATOMIÆ PROFESSORIS REGII PUBLICI, ET ORDINARII.

PROGRAMMA

QUO

ANATOMICAM MONSTRI BICORPOREI MONOCEPHALI DESCRIPTIONEM

PROPONIT.

Cum Tabulis Figurarum.

NEC NON

SECTIONES, ET DEMONSTRATIONES SUAS ANATOMICAS, PUBLICAS, HYEMALES,

ANNI ACADEMICI.

1 7 6 7.

INDICIT.

VETERO-PRAGÆ,
TYPIS JOANNIS JOSEPHI CLAUSER, REGII TYPOGR.

R.
L. B. 11072

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

DESCRIPTIO ANATOMICA

MONSTRI BICORPOREI MONOCEPHALI. *

Qui Sacris naturæ delectantur, & indefeſſa experientia naturam quaſi defatigare nituntur, ut ſuis ſeſe de latebris prodat, facile norunt, quantus fons veri ex frequenti monſtrorum Sectione anatomica, ſedulaque eorum contemplatione in indagationem generationis animalium, nutritionem, evolutionem, & formationem partium redundet; quanta affulgeat lux cele-

* Huic ſimile fuit monſtrum humanum bicorporeum anni 1754, quod Ill. Boehmer diſſecuit, & deſcripſit. *Obſerv. anat. Faſc.* II. Obſer. iv. Tum partus porcæ monſtroſus anni 1742 cujus anatomen dedit Ill. de Haller. *Opuſc. anatom. No. VII.* Et alia exempla vide ibid. §. 11. not. a.

bratiſſimæ ſuper monſtrorum origine quæſtioni : quantum denique raritas ac ſingularitas fabricæ , qua a recepta naturæ conſvetudine monſtra recedunt , vulgatior reddatur, ut pluribus monſtris communis reperiatur fabrica, pluraque monſtra ſibi ſimilia detegantur.

Quem in finem itaque , partus monſtroſi bicorporei monocephali die 23 Julii 1765. Pragæ nati ſimplicem deſcriptionem anatomicam exponere, non inutile videatur.

Sartoris uxor triginta ſeptem circiter annorum ſex liberorum Sanorum fecunda mater, ſeptimum gravida, nullius unquam injuriæ externæ , immaginationis vis, aut incomodi memor, ſeptimo graviditatis menſe peracto, ſubito validiſſimis adficiebatur partus doloribus. Obſtetrix, cum pedes ſentiret quatuor , gemellos ſperabat , pedumque duos omni molimine tentabat, at incaſſum reponere. Inter ſummos dein parturientis nixus , urgente etiam obſtetrice, cum pelves utriusque ſimul fetus, nec non abdomina connata, perciperentur , peperit tandem monſtrum bicorporeum: quod, etſi in ipſa parturitione difficili vitæ indicia præbuerit, fato tamen functum luminis auras ſalutavit.

Duo quaſi fetus , & ſexus ſequioris quidem , quibus hypogaſtria cum extremitatibus ſuis inferioribus libera, Epigaſtria, pectoraque tota connata , collum vero caputque unum, erant.

Ratione ætatis ſeptimeſtris æqua omnium partium moles, capilli copioſi criſpi, unques perfecti erant.

Cutis trunci vero a partu ſugillata : cæterum nec minimum vel incipientis putredinis indicium.

Ca-

Caput, ex ruderibus duorum quaſi coalitum, molem naturalem unius fetus excedens, facie gaudebat unica, juſta, ſatisque elegante, duobus vero occipitiis, dextro, & ſiniſtro. Inde Sectio ad axin cranii, non ovalis, ſed a fronte ſimplici, duplicique occipitio triangularis quaſi. Cui tres adſidebant auriculæ, duæ naturales, aliaque inſolita, inter duo occipitia, poſterior: quæque ex duabus iterum ſibi mutuo oppoſitis, congeſta erat auriculis, ut helices ſibi juncti exteriora, tragi vero interiora ſpectarent, miſſis deorſum lobis utrisque. Concha binarum communis, aſt absque meatu cæca fuit; ad tympanum autem ducebat via ſupra concham patens.

Caput illud ſuſtinebat collum, craſſum, breve, quadrangulare, humeris & anterioribus, & poſterioribus æqualiter inſidens, duasque nuchas, duplici occipitio reſpondentes, gerens.

Pectora, & epigaſtria ita cohærebant, ut dimidiata dextra, cum ſiniſtris converſione, pectus unum cum epigaſtrio ſuo adſito anterius: aliud eadem conformatione poſterius; duplexque dorſum, in quovis latere monſtri ſuum, efficerent. Hinc & mammæ duæ priores, duæ poſteriores, brachiaque duo anteriora, duo poſteriora.

Quare ad ambiguitatem tollendam merito corporis univerſi facies anterior, quæ faciei capitis: altera, quæ plano inter duo occipitia extenſo reſpondet, poſterior: dorſum, hypogaſtriumque unum dextrum, ſiniſtrum alterum, nuncupetur.

Um-

Umbilicus, unus, ad ſedem, qua abdomina coibant, inferiorem mediam ſitus, funiculum umbilicalem recipiebat ſimplicem, qui a placenta etiam ſimplici ortus, binas venas, tres arterias, umbilicales, arteriam omphalomeſentericam unam, duosque ad umbilicum videndos urachos, continebat. Umbilici anulus vero ad ſeſqui alterum fere pollicem hiabat, ut per peritonæum, integumentaque communia, decurſus vaſorum umbilicalium anterius, poſterius gyri inteſtinorum transparerent.

Ablatis a trunco tegumentis communibus muſculorum adparatus in pectore, abdomine, idem anterior, qui poſterior, ſibique ſimilis in utroque dorſo erat. Ad ambitum muſculorum abdominalium quatuor lineæ albæ ſe offerebant, ad anulum umbilicalem concurrentes; duæ nempe juxta quodvis hypogaſtrium, cuivis fetui propriæ: duæque una anterior, poſterior altera, juxta quodvis epigaſtrium, utrique communes.

Cavum abdominis unum commune erat, ſuperius infra diaphragma ab epigaſtrio anteriore verſus poſterius, & a lumbis dextris ſiniſtros uſque verſus extendebatur; inferius in tres terminabatur receſſus, quorum duo profundi infra umbilicum in pelves, medius minor in rotundum umbilici ambitum, ducerent. Præter ventriculum unicum, inteſtinum duodenum, jejunumque ſimplex, viſcera omnia in eo includebantur duplicia.

Hepar, unum anterius, magnum, & amplum, a diaphragmate in ſinum uſque umbilici, & a dextris ſiniſtrorſum uſque extenſum, totum occupabat epigaſtrium anterius,

ita,

ita, ut de reliquis abdominis viſceribus ab anterioribus adpareret nihil, præter renes anteriores, qui in quovis latere foſſas ſuas ei imprimebant. Figura ſua pentagonium fere ſimulabat. Facies ejus anterior convexa, & lævis perforabatur ſimplici foramine à binis poſt ingreſſum continuo in unam abeuntibus venis umbilicalibus. Facies poſterior inæqualiter plana, tribus dividebatur ſulcis: unus medius, qui de ſuperiori margine deſcendens, in foramen, quod venas umbilicales anterius transmiſit, tendebat, quique ſinum venæ portæ, ductum venoſum, venæque cavæ portionem recipiebat; alius ſiniſter, inferior, quem veſicula ſellea ſemi altero pollice longa, dimidio lata, ab inferiori ſurſum directa, felle plena, replebat; tertius ſuperior, dexter, transverſus fere, decurſum venæ cavæ a medio ſulco in hypogaſtrium dextrum tendenti, concedebat. Sinus venæ portæ, inferius e duabus venis umbilicalibus, ſuperius e duobus truncis venæ portæ ventralibus, uno dextro, alteroque ſiniſtro confluxit, qui e ſede inter hos duos truncos media ductum venoſum, ſolito ampliorem ſurſum in venam cavam miſit. Truncus venæ portæ ventralis dexter a dimidia dextra ventriculi portione, nec non meſenterio, liene, pancreate, omento, dextri fetus, ſuis oriebatur radicibus. Eadem ratione truncus hicce ſiniſter ab altera dimidia ventriculi portione, viſceribusque abdominalibus ſiniſtri fetus, ſanguinem ramulis ſuis colligebat, ducendum in ſinum venæ portæ. Vena cava inferior dextri fetus, venas hepaticas in ſex truncos collectas, ductumque venoſum recipiebat. Hepaticus

ductus

ductus e ſulco hepatis medio prodeuns cum cyſtico adſcendente coivit in choledochum, qui in duodenum, continuo ad pylorum, ſe reddebat. Viſcus illud arterias adhuc tum a cœliaca dextri, tum ab ea ſiniſtri fetus, juxta truncos venæ portæ ventrales ingredientes, obtinuit, quasque nervi, a plexubus his arteriis adſitis, orti, utrinque comitabantur. Ligamenta, quibus hepar nectebatur tria erant: unum medium e peritonæo, lineam epigaſtrii anterioris albam totam obliniente, tum ex ſede diaphragmatis media, adnaſcebatur in convexam hepatis faciem a foramine dicto retrorſum ad marginem uſque. Inferius margo ligamenti liber utrasque venas umbilicales involvebat. Porro a peritonæo velante carnem tum dextram, tum ſiniſtram ſepti transverſi in lateralem partem hepatis utramque dimittebatur ligamentum dextrum & ſiniſtrum.

Alterum hepar, exiguum, pollice cum dimidio longum, uno latum, infra diaphragma ad epigaſtrium poſterius ſupra inteſtinorum volumen ſedebat, nexum ſepto transverſo per ligamentum membranaceum ſimplex. Veſicula ejus fellea, exigua, muco impleta juxta ſuperficiem inferiorem hepatis ſita, gracili ductu penetrebat in duodenum ſupra choledochum ductum prioris hepatis.

Ventriculus unicus, ſolito amplior, infra ſedem univerſi diaphragmatis mediam, ſitu gaudebat longitudinali, anterius hepate magno, poſterius hepate parvo, lateraliter duobus lienibus, ac tot pancreatibus cinctus.

Superius in utroque margine ſaccatus eminuit, inque medio œſophagum recepit, verſus inferiora pededentim

con-

contractus in duodenum deſiit. Juxta faciem anteriorem ac poſteriorem per plicam longitudinalem filis celluloſis religatam in duas portiones laterales quaſi dividebatur, ac ſi e duobus ad margines parvos junctis coalitus foret ventriculis: quæ plica ſupra viciniam duodeni portionem continuabatur.

A quovis margine ventriculi omentum deſcendebat gaſtrocolicum ſupra inteſtinorum volumen fluctuans, altero nempe folio ab inteſtino colo ſui lateris ortum.

Cuivis craſſæ ventriculi portioni ſuus adcubuit lien, uterque conformationis naturalis, & pancreata, juxta quemvis ventriculi marginem, unum, a liene ſuo oblique ad duodenum deſcendebant, inque latera ejus ductibus mox ad pylorum patebant.

Inteſtinum tenue a pyloro, unicum, deſcendens, longo ductu gyros ſuos ſupra umbilicum abſolvit in cæcum finem deſinens, quod, antequam in illum conicum cæcumque finem abiret, duo ilea ramorum adinſtar emiſit ad angulum ſurſum acutum.

Quodvis nunc inteſtinum ileon ad ſuum inteſtinum cæcum, colon, rectum, ſuumque anum ducebat.

Duplex meſenterium totum hoc inteſtinorum volumen ſuſtentabat, ita ut in inteſtinum a pyloro ſimplex procedens, meſenterium & dextrum, & ſiniſtrum ſe demitteret ad ortum uſque inteſtinorum ileorum, indeque quodvis, ſuum inteſtinorum ſyrma comitaretur.

Renes, utrinque bini, adſidebant ſuis aortis, venisque cavis, ureteres ſuos in veſicas mittentes. In hypoga-

ſtriis, extremitatibusque inferioribus nihil contra legem ordinariam, præter id, quod ex pelvi ſiniſtra arteria umbilicalis unica adſcenderet, adparebat.

Duplex ſpina dorſi, una dextra, altera ſiniſtra, duplex ſternum, unum anterius, alterum poſterius, quadraginta octo coſtæ, a quovis latere ſpinæ duodecim quodvis ſternum accedentes, & quatuor tandem acceſſoriæ quaſi, cum totidem ſcapulis claviculæ, in unum commune pectus conſentiebant: cui muſculorum reſpirationem regentium adparatus erat ex æquo duplex, præter diaphragma ſimplex, & amplum, quod cavum illud ab eo abdominis diſſepiebat. Caro ejus ad lumbos utrinque in adpendices, vaſa majora transmittentes, continuabatur. Expanſio tendinea ejus, in quam undique omnes conſpirabant carnes, figuræ ſingularis erat, quam cum ſemiluna comparare poſſes, cujus arcus anteriora ſpectabat. Duo in univerſi ſepti medio foramina, unum in carne, aliud in ejus aponevroſi priori ad anteriora adſitum, reperiebantur: quorum anterius venam cavam cordis anterioris inferiorem, alterum œſophagum transmiſit.

Pleurarum ſacci duo anteriores, totidem poſteriores ſuis partibus vicinis ſe contingentibus mediaſtina efficiebant quatuor: duo media; quorum quodvis a ſterno ſuo ad ſuum pericardium proficiſcens caveas pectoris dextras a ſiniſtris ſeparabat: duo lateralia, quæ a ſpinis dorſi ad œſophagum in medio thoracis univerſi locatum, extenſa, eas in anteriores & poſteriores ſubdiſtinquebant. Singulum nunc par pleurarum ſuum par incluſit pulmonum, retro quodvis

ſter-

ſternum in ſeceſſione laterum mediaſtini diſtinctum protegebatur cor pericardio proprio cinctum, cui iterum ſuus inſidebat thymus.

Cor poſterius ſolito minus, conicum, vaſis ſuis pendulum, ſuoque apice, ut in animalibus plerisque fieri ſolet, diaphragma feriens, unico tantum gaudebat ventriculo, unicaque auricula. Arteriæ truncus, triplo ſolito minor, e corde hoc ſimplici prodeuns, miſſis duabus, ad pulmonum par ſiniſtrum, arteriis, recta ſurſum tendebat; dein in ramum transverſum cum aorta cordis anterioris dextra anaſtomoticum, & in ramum adſcendentem in carotides poſteriores ſe dividentem, findebatur. Auricula præter duas a ſiniſtris duobus pulmonibus venas, venam unicam, cavam quaſi ſuperiorem, recipiebat: quæ ad exemplum comitis arteriæ, ante quam arteriam adſcendebat, in ramum transverſum, cum vena cava cordis anterioris ſuperiori anaſtomoticum, & in ramum adſcendentem in jugulares bifurcatum, cedebat.

Cor anterius ſolito majus, fere elliptoideum, transverſim ſitum, duobus quidem inſtruebatur ventriculis, auriculis vero, deficiente earum ſepto, in unam caveam amplam confluentibus. In auriculam hanc, quæ in utrumque patebat ventriculum cordis, duæ a pulmonum pari dextro, venæ pulmonales, vena cava inferior, & ſuperior, aperiebantur. E corde hoc aorta egrediebatur duplex, e ſingulo thalamo ejus una. Aorta dextra e ventriculo poſteriori procedens, directe a baſi ad ſpinam dorſi dextram arcu inflexa accedebat. Arteriæ coronariæ cordis loco conſveto,

 ab

ab arcu vero tres prodibant rami: unus transverſus, ſeu canalis arterioſus anterior, inter utramque aortam anteriorem communicans; transverſus alius, ſeu canalis arterioſus lateralis cum aortula poſterioris cordis anaſtomoticus; tertius ramus, ſubclavius anterior dexter. Canalis arterioſus lateralis & carotidem dextram anteriorem & ſubclaviam dextram ad poſteriorem axillam tendentem edebat.

Aorta ſiniſtra e cordis anteriore thalamo oriunda arcuato ductu alteri aortæ contrario ad ſpinam dorſi ſiniſtram progrediebatur, ut juxta eam pergere poſſet. Ad principium dabat dextrorſum pulmonales arterias, pulmonibus dextris proſpicientes; arcus vero emittebat canalem arterioſum, transverſum dictum, deinde carotidem ſiniſtram anteriorem, arteriam ſubclaviam anteriorem ſiniſtram, & ſubclaviam poſteriorem ſiniſtram. Arteriæ carotides ab aortis duabus anterioribus ortæ (anteriores nuncupandæ, quo ab arteriis carotidibus poſterioribus, minoribus, quæ ſoboles arteriæ poſterioris cordis ſunt, diſtinguantur) ſolitum iter adfectabant. Arteriæ ſingulæ, ſubclaviæ dictæ, Thyroideam, cervicalem, mammariam internam, vertebralemque ſuam emittebant, & dein per extremitates ſuperiores more ſolito conſumebantur. Quævis nunc aorta juxta ſpinam dorſi ſuam deſcendens, dedit lege ordinaria arterias intercoſtales, diaphragmaticas, cœliacas, meſentericas ſuperiores & inferiores, iliacas &c. Cœliaca quævis in hepar majus, in dimidiam ventriculi portionem lateralem, inque lienem & pancreas ſui lateris diſtribuebatur; hepati minori providebat cœliaca ſiniſtra. Arteriæ meſentericæ

tericæ

tericæ ſuperiores per meſenteria ſua decurrebant tum in dimidiam inteſtini communis portionem, tum in inteſtina ilea, & pro parte, uti ſolent, in inteſtina craſſa ſui lateris. Cæterorum utriusque aortæ ramorum, tum in pelvibus, tum extremitatibus inferioribus legitima erat facies.

Vena cava ſuperior utrique fetui communis, e dextra & ſuperiori ſede auriculæ orta, flexione arcuata ante aortas ferebatur ad ſpinam dorſi ſiniſtram, dabatque e dextra arcus parte primo retrorſum, canalem venoſum lateralem, cum trunculo cordis poſterioris venoſo anaſtomoticum, qui venam ſubclaviam dextram poſteriorem, venamque azygon dextri fetus ſuppeditabat; deinde venam ſubclaviam dextram anteriorem, tum etiam venam jugularem anteriorem. A ſiniſtra, arcus venoſi, portione prodibant vena jugularis anterior ſiniſtra, ſubclavia anterior ſiniſtra, & ſubclavia poſterior ſiniſtra. Venæ jugulares anteriores (anteriores ideo nominandæ, ne cum venis jugularibus, trunculi venoſi cordis poſterioris, confundantur) in externas & internas pro more findebantur. Reliquus hujus venæ cavæ truncus per totam pectoris longitudinem juxta ſpinam dorſi ſiniſtram abdomen petiit; in itinere per pectus vices venæ azygæ ſiniſtri fetus fungebatur, in abdomine veram venæ cavæ inferioris indolem ſuſcipiebat, præter venam hepaticam ad hepar poſterius & minus tendentem, quæ certe exigua erat.

Vena cava, cordis anterioris, inferior, e communi cordis atrio nata, mox per aptum in parte tendinea, inque medio ſepti transverſi foramen, abdomen ſubiit prægrandis

adeo,

adeo, ut lacus nomine adprime meruerit; dum infra ſeptum venas hepaticas ab hepate majori, ductumque venoſum recepiſſet, ad dimidium anguſtior facta, transverſim fere, per ſulcum hepatis ei reſpondentem ad lumbos dextros tendebat, juxta quos ad ſiniſteriora aortæ deſcendens ramos ſuos largiebatur ſolitos. Mira horum vaſorum diſtributio & anaſtomoſis juxta fabricæ inſolitæ neceſſitatem adaptata valebat, ut ſanguis ex diverſis licet cordibus pulſus, æquabili tamen motu diſtribueretur.

Pulmones fabrica ſua legitimi reſpirationem nondum perpeſſi ſuis diſſepiebantur mediaſtinis. Quodvis par pulmonum, quorum unum dextrum, alterum ſiniſtrum, ſuam recepit arteriam aſperam in bronchos tum anteriorem tum poſteriorem diviſam.

Collum, duæ ſpinæ dorſi laterales, glandula thyroidea anterior, alia poſterior, effecerunt quadrangulare; in quo muſculorum adparatus, utrinque juxta ſuam ſpinam dorſi, ſuumque occiput, ſuus aderat ſibi mutuo reſpondens, & ſibi ſimile vaſorum, nervorumque ſatellitium. Arteriæ aſperæ, quarum in pectore una anterior, altera poſterior erat, in collo directionem ſuam mutabant, & relictis in medio, tum anterius, tum poſterius, glandulis Thyroideis, ad vertebras cervicales, anterior dextrorſum, poſterior ſiniſtrorſum, una cum laryngibus ſuis flectebantur. Lingua in ore una dextra, altera ſiniſtra, quævis ſuo conjuncta erat oſſi hyoidi, quod ſuo iterum laryngi inſidebat. Palatum in ore duplex, unum magnum, alterum parvum. Magnum, ab oſſibus maxillæ ſuperioris conſvetis formatum,

tum, naturale erat; palatum alterum, parvum, pollice longum, octo lineas latum a ruderibus maxillæ ſuperioris alterius, ut videtur, fetus factum, proprio arcu alveolari rudimenta quoque dentium includente circumdatum, profundius quam palatum naturale ſituabatur, ita ut cavum oris retrorſum in duo cava cederet, ſicque per duplices fauces, dextras nempe, & ſiniſtras, in Pharyngem pateret; hæ alterius maxillæ ſuperioris reliquiæ inter corpus oſſis ſphenoidei, & apices oſſium petroſorum poſteriorum oſſeo pedunculo ſuſpendebantur. Iterum e pavimento oris retro ſynchondroſin oſſis maxillaris inferioris, juſte conſtituti, eminebat rudus alterius quoque oſſis maxillaris inferioris, quod a partibus mollibus denudatum, figuram pyramidalem æmulabat, cujus baſis triangularis, quæ ſex rudimenta dentium incluſit, palatum parvum reſpiciebat, portio vero ejus acuminata inter duas linguas verſus baſin menti deſcendebat. Pharynx amplus, inter larynges medius & per palatum minus, cui quoque adhæſit, in duplices fauces quaſi ſeparatus, in ſimplicem œſophagum continuabatur.

Cranii cavea ab oſſe frontis, oſſe ethmoideo, oſſe ſphenoideo, uno, oſſibus occipitis duobus, oſſibus parietalibus tribus, oſſibus temporum quatuor, lamina tandem oſſea fontanellæ, congerebatur. Os frontis, oſſa duo parietalia, duo oſſa temporum, os ethmoideum, os ſphenoideum excepto corpore ejus, juſte conformata, conſvetum tenebant locum; corpus oſſis ſphenoidei in duas retrorſum, extrorſumque tendentes portiones abibat, ut

quæ-

quævis earum ſuam haberet foſſam pituitariam, quævisque apophyſin cuneiformem ab oſſe occipitis ſui lateris accedentem interpoſita cartilagine, exciperet. Duo alia inſolita oſſa temporum poſteriora erant, juxta ſe invicem poſita, quæ portionibus externis invicem confundebantur, ita, ut deletis eorum apophyſibus zygomaticis, laminisque ſquamoſis, relictis ſolum veſtigiis proceſſuum maſtoideorum unus communis poſterius eſſet meatus auditorius externus, communeque cavum tympani; apophyſibus vero petroſis, quæ diſtinctæ erant, & juxta ſe invicem poſitæ leviter nectebantur, tendebant directe antrorſum ad oſſis ſphenoidei corpus, verſus mediam inter foſſas pituitarias ſedem. Cæterum cuivis apophyſi petroſæ ſuus erat labyrinthus, meatus auditorius internus, canalis ſub nomine aquæ ductus fallopii, tuba Euſtachii, canalis caroticus ſuus. Communi huicce capſæ Tympani, quæ infundibuliformis erat, prætendebatur membrana tympani duplex, una retro alteram ſita, per lineam ſemialteram remota; inque eo cavo nullum oſſiculum auditus præter unicum malleolum detegi poterat, cui caput apophyſesque ſolitæ deerant, ſed manubrium duplo craſſius erat, & collum ad finem ſuum in duos ramos verſus veſtibula tendentes bifurcabatur; manubrium membranæ tympani exteriori directione perpendiculari nectebatur: parte transverſa, collum dicta, ſubſequentem membranam tympani perforabat.

Os parietale tertium, regionem poſteriorem mediam, & ſuperiorem cranii efficiebat, pentagonium erat, inferius oſſibus poſterioribus temporum ſuffultum, ſuperius inter

oſſa

oſſa parietalia naturalia inſtar laminæ lambdoideæ ſe inmiſit.

Oſſa occipitum juſte facta, unum dextrum, alterum ſiniſtrum, occipitia formabant, quæ per oſſa petroſa poſtica, & tertium os parietale, disjuncta ſuis inſidebant atlantibus. Lamina eorum lambdoidea inter os parietale ſolitum, & os parietale pentagonium recipiebatur, & apophyſis cuneiformis inter os petroſum conſvetum ſui lateris, & proximum os petroſum poſticum ferebatur oblique introrſum antrorſum ad corporis oſſis ſphenoidei ſecedentes portiones. Regio fontis pulſatilis oſſificata os diſtinctum cranii effecit.

Baſis cranii, præter ſolita priora octo paria foraminum, quatuor acuſticis, quatuor laceris poſterioribus, quatuor foraminibus lingualibus, duobusque occipitalibus, perforabatur. Duplex quoque erat foſſula pituitaria, aſt ante eas ſimplex & duplo major depreſſio ad unionem nervorum opticorum recipiendam.

Quæ compages oſſea cranii includebat encephalon ex cerebro ſemiduplici, duplici cerebello, duplicique medulla oblongata congeſtum, ſuis meningibus cinctum. Dura mater proceſſum, falciformis loco, ex media cavi cranii longitudine, ex conjunctione nempe dextri & ſiniſtri oſſis frontis, dextri & ſiniſtri oſſis ſincipitis, & juxta dimidium oſſis ſincipitis tertii, ad mediam uſque inter oſſa petroſa poſteriora ſedem productum, ad tres lineas undique deſcendentem, emiſit, qui cerebrum diſſepiret; deinde ex eminentibus oſſibus petroſis in os occipitis quodvis inter ſua

 oſſa

oſſa petroſa ſituatum, eduxit utrinque ſeptum membranaceum pene transverſum, cerebrum a cerebello dividens, ita, ut ſub propriis tentoriis laterent cerebella.

Cerebrum, quod anterius ad frontem anguſtius, retrorſum ad occipitia duobus rotundis craſſioribus arcubus terminabatur, in facie ſuperiori convexa, ſulco longitudinali tres lineas profundo in duo quaſi hemiſphæria, aut dimidia cerebra diſtinquebatur: qui diductus nullum conſpiciendum dabat corpus calloſum. In facie inferiori, anterius, retro coalitionem nervorum opticorum uſque, ſimplex: retro eam poſterius, duplex adparebat cerebrum, per ſulcum craſſum oſſibus petroſis poſterioribus reſpondentem, disjunctum.

Demeſſis cerebri taleolis horizonti parallelis medullæ latitudo, cum fiſſura profundior ad corpus calloſum ducens deficeret, continuo augebatur, uſque ad latiſſimam ejus ſedem, quæ centrum ovale dici ſolet. Infra regionem mediam, quam corpus calloſum alias tenet, ventriculi laterales reperiebantur cerebro ſemiduplici apte convenientes: anterius enim dexter, & ſiniſter, utrinque ſimplex erat, inde quivis retrorſum recedens findebatur in duo cornua, quæ ſuperius, retrorſum, in cavitates ancyroideas, conflexione autem facta, antrorſum in cornua inferiora continuabantur. Pavimentum eorum inferius quinque eminebat colliculis; nam retro ſolita corpora ſtriata, tres thalami nervorum opticorum erant, quorum medius minus æqualis in duas laterales partes mediante ſubſtantia corticali diverſus erat. Fornix, quem medulla confuſa anterius

co-

columnæ loco fulciebat, quique retrorſum ſupra medium nervorum opticorum thalamum in duos laterales ibat fornices, gaudebat ad margines externos ſuis limbis ſemicylindricis, tum in media ejus ſede linea eminente, quæ limbos internos daret fornicibus lateralibus. Quivis fornix lateralis ad exemplum ventriculorum in duo crura, in arcum, ut hippocampus ſolet, circumducta, diſcedebat. Cornua inferiora ventriculorum, quæ interiora ſpectabant multum graciliora erant iis, quæ exteriora erant.

Infra unionem, qua thalamus nervorum opticorum externus cum medio coaluit, ventriculus, tertius dictus, utrinque unus erat, qui a ſe invicem ſeparati infundibulo proprio antrorſum ad ſuam glandulam pituitariam ducebant; retrorſum vero plexu ſuo Choroideo tecti vergebant ad glandulam pinealem, eminentiasque quadrigeminas ſuas, & ab iis alterius lateris diſtinctas, tum etiam per aquæductum ſylvii ſuum cum quarto ventriculo lateris ſui communicabant.

Cujusvis dimidii cerebri medulla confluebat in duo crura (quorum interiora minora erant) ita ut cum cruribus cerebelli intricata utrinque pons Varolii, medullaque oblongata diſtincta exſurgeret, in medullam ſpinalem ſuam utrinque continuata.

Sub tentoriis duo ſibi ſimilia, juſte conformata cerebella in propriis foveis in oſſibus occipitum præparatis ſituabantur, quorum medulla, in truncos collecta lege naturali in medullam oblongatam ac ſpinalem lateris ſui conſumebatur. Qua parte crura dimidiorum cerebrorum ad pontes

Varolii coibant, adaptatæ utrinque erant eminentiæ mamillares; ante quas etiam infundibula patebant, ad glandulas pituitarias ducentia, quarum quævis in propria oſſis ſphenoidei ſedebat foſſula.

Arteriæ vertebrales quatuor in duos in totidem pontibus Varolii truncos coiverunt; carotides quoque quatuor per ſuos canales in totidem oſſibus temporum exſculptos, cerebrum accedentes, ramis ſuis cum arteriis baſilaribus circulum Williſii unum efficiebant.

Inter nervos ab encephalo prodeuntes ſimplices erant olfactorii. Opticum, & tertium par, & quartum, & quintum, & ſextum, ſimplicia quoque fuerunt, ita tamen, ut quatuor quaſi origines nervorum opticorum, unione, dimidio fere pollice longa & lata, facta, in unum par opticum abirent. Quatuor dein nervi auditorii, quatuor nervi vagi, cum totidem acceſſoriis ſpinalibus, quatuor quoque nervi noni erant, qui duplicem linguam adirent. Ex medullis ſpinalibus more ordinario nervi ſpinales gignebantur; nervi intercoſtales, ſeu ſymphatici maximi, quatuor, pone quamlibet ſpinam dorſi duo, uti ſolent, procedebant; quatuor trunci vagi juxta œſophagum deſcendentes, ibidemque per quatuor plexus œſophageos uniti ad ventriculum reliquasque abdominis partes tendebant. Cæterum fuſiorem partium deſcriptionen non admiſit tempeſtas anni.

EX-

EXPLICATIO FIGURARUM.

TABULA PRIMA.

Monſtrum bicorporeum monocephalum a facie anteriori exhibet.

a. a. b. b. Ambitus foraminis umbilicalis.
c. Funiculus umbilicalis.
d. d. Vaſa umbilicalia.

TABULA SECUNDA.

Monſtrum a facie poſteriori repræſentat.

a. Occiput unum.
b. Occiput alterum.
c. d. e. e. Auricula tertia poſterior ex binis aliis auriculis oppoſitis facta.
c. Via ad tympanum ducens.
d. Concha ſimplex cæca.
e. e. Lobuli bini.
f. Funiculus umbilicalis.
g. g. Ambitus foraminis umbilicalis.
h. h. Inteſtina tenuia per peritonæum, cutimque transparentia.

TABULA TERTIA.

FIG. I.

Viſcera pectoris & abdominis ab anteriori oſtendit.

a. Cor anterius, majus.

b. b.

b. b. Pulmones utriuſque paris anteriores.

c. Thymus anterior, major.

d. d. Diaphragma.

eeee. Hepar anterius, majus, pentagonium quaſi, viſcera plurima cooperiens,

f. f. Renes.

g. Foramen venas umbilicales transmittens.

h. h. h. h. Venæ umbilicales.

i. i. Arteria umbilicalis ſiniſtri fetus.

k. k. l. l. Arteriæ umbilicales dextri fetus.

l* l* Urachi.

m. m. Arteria omphalo meſenterica.

n. n. Veſicæ urinariæ.

o. o. Fundi uterorum.

p. p. p. p. Tubæ Fallopianæ ad ovaria tendentes.

FIG. II.

Contenta pectoris & abdominis a poſteriori monſtrat.

a. Cor poſterius, minus.

b. b. Pulmones utriusque paris poſteriores.

c. Thymus poſterior, minor.

d. d. d. Diaphragma.

e. Hepar poſterius, minus.

f. Veſicula ejus fellea, muco plena.

g. Portio ventriculi adparens.

h. Lien dexter.

i. i. Renes.

k. k. k. Inteſtinum jejunum, commune.

l. Se-

l. Sedes, qua inteſtinum jejunum in finem cæcum terminatur, & inteſtina duo ilea ramorum adinſtar emittit.

m. m. Inteſtinum ileon ſiniſtrum.

n. n. Inteſtinum ileon dextrum.

o. Arteria omphalomeſenterica, a meſenterio ſiniſtri fetus ſupra finem cæcum inteſtini jejuni ad funiculum porrecta.

p. p. Inteſtina craſſa dextra.

q. q. Inteſtina craſſa ſiniſtra.

r. r. Portio inferior hepatis anterioris.

TABULA QUARTA.

FIG. I.

Ventriculum cum evolutione inteſtinorum, nec non viſcera ventriculo proxima ſeparatim exhibet prout a. poſteriori monſtri facie occurrebant.

a. b. c. d. Ventriculus.

a. b. Fines duo cæci ventriculi.

c. Pylorus.

d. Sulcus ventriculum quaſi bipartiens.

dd. Oeſophagus.

e. e. Inteſtinum duodenum.

f. f. Inteſtinum jejunum.

g. Finis cæcus inteſtini jejuni.

h. Inteſtinum ileon ſiniſtrum.

i. Inteſtinum cæcum.

k. Appendix vermiformis.

l. Inteſtinum colon &

m. Inteſtinum rectum ejusdem lateris.

n. In-

n. Inteſtinum ileon dextrum.
o. Inteſtinum cæcum.
p. Appendix vermiformis.
q. Inteſtinum colon.
r. Inteſtinum rectum dextrum.
s. Lien ſiniſter.
t. Lien dexter.
u. Pancreas ſiniſtrum.
x. Pancreas dextrum.
y. Hepar poſterius minus, in quo nullum venæ portæ veſtigium.
z. Veſicula fellea hepatis poſterioris, minoris.
α. Veſicula fellea hepatis anterioris majoris.
β. Ductus hepaticus hepatis anterioris.
γ. Ductus biliferi, hepatis minoris, in duodenum inſertio.
Ω. Ductus choledochi hepatis majoris in duodenum inſertio.

FIG. II.

Directionem vaſorum, prout ab anteriori adparebat, indicat.

a. Cor anterius, majus, transverſum.
b. Auricula.
c. Venæ cavæ truncus ſuperior.
d. Arcus ejus, quo ad ſpinam dorſi ſiniſtram accederet.
e. Portio ejus deſcendens juxta ſpinam dorſi.
f. Bifurcatio in venas iliacas ſiniſtri hypogaſtrii.
g. Vena ſubclavia anterior dextra.
h. Vena jugularis anterior dextra.

i. Vena

i. Vena jugularis anterior ſiniſtra.
k. Vena ſubclavia anterior ſiniſtra.
l. Vena ſubclavia poſterior ſiniſtra.
yy. Vena ſubclavia poſterior dextra.
m. m. Venæ renales hujus venæ cavæ.
n. Truncus venæ cavæ inferioris.
o. o. o. o. Venæ hepaticæ hepatis anterioris.
p. Vena cava ad lumbos dextros accedens.
q. q. Venæ renales dextri fetus.
r. r. Diviſio in venas iliacas.
s. Arteria aorta dextra.
t. Arcus ejus.
u. Arteria carotis anterior dextra.
x. Arteria ſubclavia dextra anterior.
y. Arteria ſubclavia dextra poſterior.
z. Arteria aorta dextra deſcendens.
** Arteriæ renales.
1. Arteriæ iliacæ dextræ aortæ.
2. Aorta ſiniſtra.
3. Arteria pulmonalis pulmonis dextri anterioris.
4. Arteria pulmonalis pulmonis dextri poſterioris.
5. Canalis arterioſus transverſus anterior inter aortam dextram & ſiniſtram.
6. Arteria carotis ſiniſtra anterior ab aorta ſiniſtra.
7. Arteria ſubclavia ſiniſtra anterior.
8. Arteria ſubclavia ſiniſtra poſterior.
9. Arcus aortæ ſiniſtræ.
10. 10. Arteriæ renales.

11. Diviſio arteriæ aortæ ſiniſtræ in arterias iliacas.
12. Venæ umbilicales, quæ in hepate anteriori confluunt.
13. Sinus venæ portæ.
14. Canalis venoſus in venam cavam 15 apertus.
16. 16. 16. 16. Rami venæ portæ hepaticæ.
17. Veſicula fellea hepatis anterioris.
18. Oeſophagus.
19. Aſpera arteria poſterior pulmonibus ſiniſtris proſpiciens.
20. Aſpera arteria anterior pulmonum dextri lateris.

FIG. III.

Directionem vaſorum a poſteriori conſideratam repræſentat.

a. b. Auricula cordis anterioris, una, ampla.
c. Truncus venæ cavæ cordis anterioris.
d. d. Arcus ejus.
e. Vena cava juxta ſpinam dorſi ſiniſtram viam legens.
f. Truncus venæ cavæ inferioris, cordis anterioris
g. Ad vertebras lumbales dextras procedens.
h. Vena jugularis anterior dextra.
i. Vena jugularis anterior ſiniſtra.
k. Vena ſubclavia anterior ſiniſtra.
l. Vena ſubclavia poſterior ſiniſtra.
m. Cor poſterius, minus, perpendiculariter ſitum.
n. Auricula ejus.
o. Vena e corde poſteriore exeuns.
p. Ramus ejus aſcendens, dans
q. Venas jugulares poſteriores, dextram & ſiniſtram.

r. Ve-

r. Ramus ejus transverſus, cum vena cava c. cordis anterioris anaſtomoticus, qui venam ſubclaviam ſiniſtram largiebatur, tum etiam venam azygam hujus lateris, in figura non expreſſam.

s. Aorta dextra cordis anterioris.

t. Arcus ejus.

u. Arteria carotis dextra anterior.

y. Arteria ſubclavia dextra poſterior.

z. Aorta dextra deſcendens.

1. Arteria e thalamo cordis poſterioris orta.

2. 4. Diviſio ejus.

2. Ramus adſcendens in carotides poſteriores dextram & ſiniſtram fiſſus. 3.

4. Ramus transverſus lateralis, ſeu canalis arterioſus cum aorta dextra cordis anterioris communicans.

5. Arcus arteriæ aortæ ſiniſtræ.

6. Arteria carotis ſiniſtra anterior.

7. Arteria ſubclavia ſiniſtra anterior.

8. Arteria ſubclavia ſiniſtra poſterior.

6* Arteria cœliaca.

7* 7* Arteria meſenterica ſuperior.

8* Arteria meſenterica inferior ſiniſtræ aortæ.

9. Arteria cœliaca.

10. 10. Arteria meſenterica ſuperior.

11. Arteria meſenterica inferior aortæ dextræ.

12. Venæ umbilicales.

13. Sinus venæ portæ hepatis anterioris.

14. Canalis venoſus in venam cavam 15. apertus.

16. Truncus venæ portæ ventralis ſiniſter, a meſenterio, inteſtinis, liene, pancreate, omento, ventriculi latere, ſiniſtris, ſanguinem colligens.
17. Truncus venæ portæ ventralis dexter, a meſenterio, inteſtinis, liene, pancreate, omento, ventriculi latere, dextris, ſanguinem reducens.
18. Oeſophagus.
19. Aſpera arteria poſterior.
20. Aſpera arteria anterior.

TABULA QUINTA.

Monſtri bicorporei monocephali compagem oſſeam exhibet in vera magnitudine.

a. Sternum anterius.
b. b. Sternum poſterius.
c. c. Claviculæ anteriores.
d. d. Claviculæ poſteriores.
e. Occiput dextrum. f. Occiput ſiniſtrum.

TABULA SEXTA.

FIG. I.

Indicat faciem exteriorem baſis cranii.

a. Frons.
b. Nares.
c. c. Orbitæ.
d. Os occipitis dextrum. e. Os occipitis ſiniſtrum.
f. Os temporum ſiniſtrum. g. Os temporum dextrum.

h. h.

h. h. Apophyſis petroſa dextri,
i. i. Apophyſis petroſa ſiniſtri oſſis temporum.
k. Membrana tympani dextra.
l. Membrana tympani ſiniſtra.
m. m. Duo oſſa temporum poſteriora.
n. n. n. n. Apophyſes petroſæ poſteriorum oſſium temporum.
o. Meatus auditorius ſimplex poſteriorum oſſium temporum.
p. Proceſſus cuneiformis ſiniſtri oſſis occipitis.
q. Proceſſus cuneiformis dextri oſſis occipitis.
r. r. Arcus alveolaris rudimenta dentium includens palati naturalis.
s. s. Palatum naturale.
t. Palatum alterum minus.
u. u. u. Arcus alveolaris palati minoris rudimenta dentium quoque includens.
x. x. Foſſæ articulares.
y. Foramen occipitale dextri oſſis occipitis.
z. Foramen occipitale ſiniſtri oſſis occipitis.

FIGURA II.

Siſtit rudus maxillæ inferioris alterius.

a. Baſis ſex rudimenta dentium ſervans.
b. Apex qui inter linguas ad baſim menti deſcendebat.

FIG. III.

Oſtendit faciem interiorem baſis cranii.

a. Frons.
b. Os occipitis ſiniſtrum.

c. Os

c. Os occipitis dextrum.
d. Oſſis parietalis poſterioris portio.
e. Os temporum ſiniſtrum.
f. Os temporum dextrum.
g. q. Oſſis temporum dextri apophyſis petroſa.
h. p. Oſſis temporum ſiniſtri apophyſis petroſa.
i. i. Apophyſis petroſa poſterior ſiniſtra.
k. k. Apophyſis petroſa poſterior dextra.
l. l. Impreſſio in corpore oſſis ſphenoidei ad unionem nervorum opticorum recipiendam.
m. m. Foſſulæ pituitariæ.
n. n. Os ethmoideum.
o. o. Foramina optica.
h. g. Foramina acuſtica oſſium temporum naturalium.
r. s. Foramina acuſtica reliquorum duorum oſſium temporum.
t. Foramen occipitale dextrum.
u. Foramen occipitale ſiniſtrum.
x. y. Apophyſes cuneiformes oſſium occipitum.

FIG. IV.

Monſtrat faciem inferiorem encephali e cerebro ſemiduplici, duplici cerebello, duplicique medulla oblongata facti.

a. a. a. Dimidium cerebrum dextrum.
b. b. b. Dimidium cerebrum ſiniſtrum.
c. c. Sulcus cerebrum diſſepiens.
d. d. Cerebellum dextrum.
e. e. Cerebellum ſiniſtrum.

f. f.

f. f. Pons Varolii, &
g. t. x. 4. Medulla oblongata dextra.
h. h. Pons Varolii, &
i. u. z. 5. Medulla oblongata ſiniſtra.
k. Infundibulum & eminentiæ mamillares dextræ.
l. Infundibulum & eminentiæ mamillares ſiniſtræ.
m. m. Nervi olfactorii.
n. n. Nervi optici.
o. Unio lata nervorum opticorum.
p. p. Nervi oculorum motorii.
q. q. Nervi pathetici.
r. r. Par quintum.
s. s. Par ſextum.
t. t. Nervi acuſtici dextræ medullæ oblongatæ.
u. u. Nervi acuſtici ſiniſtræ medullæ oblongatæ.
x. x. Nervi vagi dextræ medullæ oblongatæ cum ſuis nervis acceſſoriis *y. y.*
z. z. Nervi vagi cum ſuis acceſſoriis nervis 1. 1. alterius medullæ oblongatæ.
2. Nervorum lingualium par ſiniſtrum.
3. Nervorum lingualium par dextrum.
4. 5. Nervi ſuboccipitales.
6. 6. Arteriæ carotides anteriores.
7. 7. Arteriæ carotides poſteriores.
8. 8. Arteriæ baſilares a vertebralibus ortæ.

Tab: I.



J: Quirinus Jahn del: ad nat. Carl Salzer ſc: Praga.

Tab. II




J. Quirinus Jahn del: ad nat.   Carl Saltzer Sc. Praga

Tab. III.

Fig. I.



Fig. II




J. Quirinus Jahn del: ad nat. Carl Saltzer sc: Pragæ.

Tab: IV



J. Quirinus ... del. ad nat. Carl Saltzer sc: Pragæ

Tab: V.



J. Quirinus Jahn del: ad nat:

Carl Salzer sc: Pragæ

Tab: VI.

Fig: III.





Fig: I.





Fig: II

Fig: IV.



J. Quirinus Jahn del: ad nat. Carl Saltzer ſc: Praga.